

§. XIII. Aliquando etiam flos *interior*, atque *spiritualis*, & qui maxime decet Ecclesiam, deficit, quando nimurum errores magno numero, doctrinam, vitia, & omnis generis scandala, mores hominum inquinant, & corrumpunt. De hujus floris defectu toties conqueruntur Prophetæ, quoties Israelitas ad hoc illudve idololatriæ genus cateruatim prolapsos fuisse memorant. Sigillatim Jesaias, quam misera fuerit Ecclesiæ facies, suo tempore, graviter exponit Capite I, 3. seq. *Ah!* inquit, *gens peccatrix, populus gravissimus iniquitate, semen maleficentissimum, filii corruptores: dereliquerunt Jehovam, contemptum irritaverunt sanctum Israelis, abalienantes sese averterunt retrorsum. Quam obrem percutimini amplius, augetis apostasiam?* Totum caput confectum est eadem ægritudine, & totum cor languidum, a planta pedis usque ad caput non est in isto corpore integritas, sed vulnus, & tumex, ac plaga saniosa: neque exprimuntur, neque alligantur, denique nulla emollitur unguento. Reliqua facta est filia Sionis ut tugurium in vinea, ut tegillum in cucumerario, ut civitas desolata. *Nisi Jehovah Zebaoth reliquos fecisset nobis superstites, utcunque paucos, ut Sodomum essemus, Hamor & similes essemus.* Eliæ tempore cum splendore externo interior quoque, & spiritualis, in Ecclesia Israëlitica eo usque defecerat, ut se solum, ex omni piorum numero, superesse crederet Propheta. Servatore ipso in terris verstante, Deum immortalem! quam exiguus erat Ecclesiæ Judicæ, ac prope nullus nitor. *Doctrina Pharisæorum & Legisperitorum cavillationibus, humanique ingenii commentis, & veterum traditionibus fœdissime erat corrupta: Ignorabatur Deum esse Patrem, Filium & Spiritum S. Messiam futurum esse verum Deum: opus esse regeneratione ad salutem. Negabatur resurrectio carnis, & immortalitas animæ. Mores ipsi*